



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Hermes Rotnacensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

rauit. Vita demum sanctissimè transacta sepelitur in Hambrabantia vico. Caroli Magni Imperatoris æuo è terrâ eleuata, inde transuecta est Morfellam condito ibidem monialium Coenobio, postea an. 980. Bruxellam translata. Vide plura apud Miræum in fastis.

G E D E R I C V S, vel vti placeat aliis,  
W E D E R I C V S.

*In Blandinio iuxta Gandauum.*

**M**onachus fuit Blandiniensis, de quo historia Affligeniensis Coenobij hæc tradit. Prædicante in Alostensi opido Domino Wederico S. Petri Gandensis Monacho Blandiniensi, qui quasi stella matutina in medio nebula lucens in effugandis errorum obscuritatibus apparuit, conuersi sunt quinque milites in eo videlicet loco, vbi nunc Monasterium situm est, inter Brabantiam, id est, patriam Alostensem, & Brabantiam. Hic milites per multa tempora latrociniis insistentes tandem resipuerunt, doctorisque sui consilio animati adierunt sanctum Annonem Archiepiscopum Coloniensem, à quo impetratâ veniâ peccatorum, & in remissionē eorum recepto ab Archipræsule mandato, eo loci vbi latrociniis omnia profanarant, domū in qua Deo in perpetuum seruirent, construxerūt, locūq; Deo consecratus est anno 1083. à Gerardo II. Camera. Ep.

H E R M E S

*Rotnacensis.*

*23 Aug.* **A**nno 132. Romæ S. Hermes vrbis Præfectus martyrio coronatur. Historiam fusè apud Adonem Vienneensem

nensem vide. Anno 829. corpus S. Hermetis Romæ sub Gregorio IV. & Ludouico Pio Imperatore inuenitur, & in Basilicam S. Marci transfertur. Anno 851. corpus Roma Indam (quod nunc est Monasterium Benedictinorum S. Cornelio sacrum prope Aquasgrani in Diœcesi Coloniensi) transfertur, per Lotharium Imp. Ludouici Pij filiũ. Anno 860. die 6. Iulij S. Hermetis corpus Inda Rotnacum ad Basilicam Canonicorum, à S. Amando Traiectensis Episcopo fundatam, est translatum per Ludouicum Imp. Lotharij iam nominati filiũ, qui & Reliquias SS. Cornelij Papæ, Cypriani Episcopi Carthaginensis, & S. Cælestini apud Rotnacenses deposuit amplâ dote additâ; adeò vt alter post S. Amandum Ecclesię Rotnacensis fundator Ludouicus Imperator à Rotnacensibus habeatur. Vide Miræum.

### HIDULPHVS EPISCOPVS.

**H**Vnc claro Neruiorum genere ortum Pipinus Fran- 11. Iulij.  
corum rex petente clero ac populo Treueris Episcopum constituit. Post aliquot autem annos cum tribus Monachis Spinulo, Ioanne, & Benigno, in Diœcesis Tullensis filuam, quæ dicitur Vosagus, vel Vogesus secessit, ubi & obiit. Vitam eius scripsit Bruno Tullensis Episcopus, post Leo IX. nuncupatus, vt testatur Molanus in Autographo natalium Belgicorum, quod Louanij exstat apud Philippum Zangrium Bibliopolum. Scripsit & idem Bruno de Hidulpho officium Ecclesiasticum. Claruit autem in eo saltu non solum ipse Hidulphus, sed & sodales eius, antenominati, variis miraculis.

HILDE-